



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione**

**Eusebius <Caesariensis>**

**[Augsburg], 1522**

**VD16 E 4299**

Quod nobiscum nobis gere[n]dum est bellum Cap. xviiij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34477**

procul ab oculis nostris, aut futura unquam sit, parati sumus ratione ostendere, factum iam fuisse & esse in presentia, futuramque esse quando eadem in aliqua ciuitate praeualebit, nec nos impossibilia dicere.

Quod nobiscum gerendum est bellum.

CAPVT. XVIII.

**R**ecte inquit a nobis dictum est, omnes homines sibiipsis pugnare, neminemque esse, qui sibiipso hostis non sit. Quare praecipua optimaque uictoria esse seipsum uincere. Sicut e contra, turpissimum atque pessimum a seipso uinci. Et post pauca. Unus est unusquisque nostrum, sed duos secum contrarios amentes habet consiliarios, uoluptatem atque dolorem quibus opinionum futurorum accedunt, quas communiter spei nomine appellamus. Proprie autem, quae ante dolorem spes est timor, quae uero ante uoluptatem confidentia nominatur. Ad haec omnia ratio accedit melior aut peior, qua cum quid publice constitutum sit, lex nuncupatur. Deinde haec passiones inquit in nobis quasi nerui aut funes huc & illuc ad contrarias operationes attrahunt. Ratio uero uni semper rationi oportere constanter inhaerere persuadet, quae quidem ratio aureo quodam fune atque communi lege uidelicet ciuitatis inniti solet. Aliae autem durae asperaeque tanquam ferreae sunt. Haec ubique ferme diuinae litterae predicant, appetitum rationi pugnare docentes, rationemque optimam esse, quae dei lege dicitur, uictoriamque laudatissimam cum huic rationi appetitus subijcitur.

Quod peccatorum anima est causa, CAP. XIX.

**V**ndecimo autem legum. Necessum est inquit tam uirtutem quam uitiorum causam esse animam, quod Mosayco illi consentaneum est. Si anima peccarit, & si anima delictum fecerit.

De uero Philosopho. CAPVT. XX.

**C**um in hebraica scriptura de studioso ueroque philosopho dicat. Bonum est uiro si tollat iugum in iuuentute sua, se debitorumque solus ac tacebit. Cumque diuini prophetae ac sublimi philosophia in montibus atque speluncis degerint, ad solum deum mentem erigentes. Audias quemadmodum etiam Plato hunc uiuendi modum comprobauit dicens. Qui praecipui in philosophia sunt, ab adolescentia etiam ipsam uiam, quae in forum abducit ignorat,